

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXIV. Quod anima in corde domini nidificat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Quid de
cordibus
Mariæ,
Angelorum
fiat, atque
Sanctorum.

divini Cordis copiosissima videbatur supereffluentia influere, quæ rursus influentia de corde Sanctorum reinfluens cum mira gratitudine Cor Dominicum repetebat. Tunc ait Dominus ad eam : « Accede nunc primo ad Cor purissimum virginæ Matris meæ, unde abluere studeas, scilicet per gratiarum actionem, in ea extollendo fidelitatem illam dignissimam qua præ omni creatura, in omnibus operibus suis mihi firmissime imo inseparabiliter erat conglutinata. Et ipsam loturam tibi imbebe per desiderium et studium imitationis. Similiter facias de singulorum Sanctorum cordibus, semper eorum virtutes devote extollendo, et pro posse tuo humiliter imitando; sic poteris eorum consortium in gloria feliciter adipisci. »

CAPUT XXIV.

QUOD ANIMA IN CORDE DOMINI NIDIFICAT.

ALIA vice, post Communionem sanctam, dixit ad eam Dominus : « Egoin te et tu in me, in omnipotentia mea sicut piscis in aqua. » Et illa : « O mi Domine, pisces sæpe de aqua trahuntur rete, et quid si mihi ita contigerit ? » Cui Dominus : « Non poteris extrahi a me, sed nidificabis in Corde meo divino. » Et illa : « Quid erit nidus meus ? » Respondit Dominus : « Humilitas in omni dono et gratia tibi a me collata : semper in abyssum veræ humilitatis te immerge. » Et anima : « Pisces in aqua fructificant, et quid erit meus fructus ? » Cui Dominus : « Quando me cœlesti Patri offers in gaudium et gloriam omnibus Sanctis. tunc eorum gaudia et merita sic augmentantur, ac si ipsi

Quando
Filiis
offertur Patri
in honorem
Sanctorum,
eorum
crescunt
gaudia.

corporaliter me susceperint in terris, et hic est fructus tuus. » Tunc anima cogitare cœpit quomodo hoc in Patriarchis et Prophetis fieri posset, quia in terris corpus Christi non sumpsissent. Et Dominus: « Quod Apostoli habuerunt in re, hoc Patriarchæ et Prophetæ tenuerunt per fidem et spem; et ideo ipsorum tam veraciter est sicut Apostolorum. »

CAPUT XXV.

DE CRUCE ET SERICA VESTE DOMINI.

RAPTA quandoque in spiritu, vidit se in domo quadam miræ pulchritudinis existentem, quam bene Cor Christi esse recognovit, eo quod toties illud simili modo intraverat, ut supra scriptum est. Et procidens in terra, invenit crucem magnam in ipso pavimento, supra quam anima corruerat. Et ecce de medio crucis aureum jaculum acutum exhibat, et ipsam animam pertransibat ¹. Et audivit Dominum sibi dicentem: « Omnis terrena substantia unam animam lætificare non posset; sed tota ejus salus summaque gloria in pœnis et tribulatione consistit. » Anima vero multum cœpit tristari et anxari, eo quod unice sibi dilectum licet audiret, minime tamen videret. Cumque magno desiderio ipsum exquireret, apparuit ei continuo, stans ante ipsam, in veste

Transfixio
animæ per
jaculum e
cruce.

1. Quod memoratur de S. Theresia, scilicet illam ab Angelo, qui Christus ipse erat, fuisse cuspe amoris spirituali transfixam, jam in S. Gertrudi factum esse in ejus Libro, lib. II. c. 5. et lib. V. c. 25. legimus. Nunc idem occurrit in beata Mechtilde; quod quidem in perfectione illarum quamdam testatur fuisse similitudinem ac cognationem.